131.

312

Illustri & Nobilissimo

ZUYLECHEMI DOMINO,

299

D. CONSTANTINO HUYGENIO,

gaudere, et bene rem gerere,

S. Q. P.

Quanquam omni occasione demereri Te, Musasq; tuas gestiverim, Heroum Praestantissime, nulla tamen hactenus tam audacem reddere me potuit, ut seposita Illustrissimi Nominis reverentia, quod eminus semper adoraveram, familiariter id usurpandum ullo modo existimarem. Salmasijs, Heinsijs, Barlaeis, alijsq majorum gentium Semonibus, qui communi voto te Maecenatem suum appellant, omnisq politioris literaturae et Praesidem et συμμύστω agnoscunt, non promiscue, sed vix etiam ac raro id sua sponte licuisse publico testatum, cujus nulla praetendi poterat ignorantia, videbam. Tum etiam quid aera lupinis et viburna cupressis distarent tacita mente ac sane dimetiebar. At vide jam, quantum omnis pudoris stimulus abscessit, Virorum Nobilissime, postquam ambire me non tantum sine ullo verecundiae colore dicere audeo, sed etiam publice profiteri conatum meum coepi. Brunonem tuum, reverentissimum alias Domini, ut Te tamen compellaret quovis modo adegi. Dedelium insuper, communem Tibi, et (ut pace tua gloriari in tali necessitudine liceat) mihi cognatum, ut Te petitioni meae faventem redderet, omni sacramento affinitatis obtestatus sum. Et quanquam praestitum id mihi confidam, quasi parum etiam Tibi tuisq; molestus fuisse viderer, jam et ipse ego (si pateris) Te, qui tot ac tanta negotia solus solus sustines, impudenter invado, Zulechemi Illustrissime. Nec una ac simplice molestia, sed toto cumulo ineptiarum, aures tuas obtundo. Ut rudem libellum meum, nec meum omnino, quem Cl. Heilersigio ad Te curandum commisi, miti supercilio excipias: ut Principi, tuo praeconio ornatum, quanquam nihil tale quid meritum, commendes; autoremq; sive editorem dicas, ineptae Dedicationis temeritate indemnem praestes, et quaqua potes ut Principi etiam tuo concilies, ne ingratum, neu inobedientem Sibi ad Legationis, quae ad negotiationem Pacis cum plena potentia jamjam mittenda est, secreta administranda ministrum me futurum, si forsitan

© British Library
Add MS 22953, f. 299-300
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4196

intercessu tuo annuerit, cr
supplex effundo, brevis qu
Verumenimvero quod Tib
facundia instructus ipses
quammultis rationibus
no Hollandiæ Ordinum
si mittendus nihilominus
quis numerus, quæ mer
θεῶν ἐν γούνασι κεῖται
Te et commoda public
Quicquid in me aut r
cum satis intelligam
[illegible] institui posse
injurato mihi crede
obsequij. omnis in T
admirationem Hero
et prospera, et pro

Virorum Tex

Hagæ Comitatensis,
VIII Kal. Novembr.
∞. DC. XLV. A. S.

A
l C

© British Library
Add MS 22953, f. 299-300
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4196

interceſſu tuo annuerit, credat; hæc votorum meorum, quæ in ſinum tuum Supplex effundo, brevis quidem, non levis ſumma eſt, Virorum Illuſtriſſime. Verumenimvero quid Tibi pluribus exponam, qua fiducia, qua linguarum peritia, aut facundia inſtructus ipſis Legatis videar, quo loco me aliqui habuerint, quammultis rationibus Graſwinkelij conditio obnoxia & impedita gemino Hollandiæ Ordinum decreto ſit (nihil enim tanto Viro obnitor, ſed ſi mittendus nihilominus Principi videtur, longe lateq; ipſi decedo) aut quis numerus, quæ merita competitorum ſint, qui minime neſcis, quantum θεῶν ἐν γούνασι κεῖται; Itaq; hac ſaltem parte, ne prolixiori ſcripto in Te & commoda publica peccem, officioſus quodammodo videri annitar. Quicquid in me aut rem meam affectus depromſeris, effectumve dederis, cum ſatis intelligam nullam officiorum tuorum ratiocinationem ex æquo cum institui poſſe, ſi non Dedelio Heroi omne concedis, hoc tamen vel injurato mihi crede, Zuylechemi Præſtantiſſime, neminem mortalium obſequij omnis in Te tuoſq; tenaciorem fore, quam, qui æternum in admirationem Heroicæ virtutis tuæ emancipavit ſe, & omnia fauſta, & proſpera, & propitia ab hiberno Jove animitus precatur Tibi,

Virorum Termaxime,

Illuſtriſſimi Nominis Tui
devotiſſimus cultor

Janus Vlitius,
conſultus Juris, & actor
Cauſarum mediocris.

Hagæ Comitatenſis,
VIII Kal. Novembr.
∞. Ioc. XLV. A.S.

Author of
Venatio novantiqua, 12mo Lugd. Bat. 1645.
& Carolus redux per Musas Batavas Panegyri
repraesentatus. fol. 1660.

Syl. MSS.
No 210

© British Library
Add MS 22953, f. 299-300
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4196